DOM. I JULII.

IN FESTO PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

Introitus. Apoc. 5.

Redemisti nos, Domine, in Sanguine tuo, ex omni tribu, et linguâ, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ps. 88. Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

V. Gloria Patri, etc.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigénitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti,ac ejus Sanguine placari voluisti; concéde, quæsumus, salutis nostræ prétium solémni cultu ità venerari, atque à præsentis vitæ malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpétuo lætemur in cælis. Per eumdem Dominum.

Et fit comm. dom. occur.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebreos. *Hebr.* 9.

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculem non manufactum, id est non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab opéribus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem eorum prævaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis; in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. I. Joan. 5. Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus; non in aquâ solum, sed in aquâ et sanguine.

V. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terrâ: Spiritus, aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.

Alleluia, Alleluia. V. Si testimonium hominum accépimus, testimonium Dei majus est. Alleluia.

† Sequentia Sancti Evangélii secundum Joannem. *Joan.* 19.

In illo tempore: cum accepisset Jesu acétum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judæi ergo (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lanceâ latus ejus apéruit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium ejus. *Credo.*

Offertorium. 1. *Cor.* 10. Calix benedictionio, cui benedicimus, nonne communicatis sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

Secreta.

Per hæc divina mystéria, ad novi, quæsumus, testamenti mediatorem Jesum accedamus: et super altaria tua, Domine virtutum, aspersionem sanguinis, melius loquentem quam Abel, innovémus. Per eumdem Dominum.

Secreta Dom. occur.

Præfatio de Cruce, fol.

Communio. Hebr. 9. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus se, in salutem.

Postcommunio.

Ad sacram, Domine, mensam admissi, hausimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: sanguis ejus fiat nobis, quæsumus, fons aquæ in vitam æternam salientis. Qui tecum vivit.

Postcom. dom. occur.

Imprimerie d'Augustin Coté et Cie.